

dentes ad eum , aërem , & cum aëre etiam ipsum propellunt ; fugientes verò secum trahunt aërem , & cum aëre ignem illum . Qvamvis autem Ignis hic fatuus , sicut haclenus expositum est , naturales causas agnoscat : mali tamen Genii eum sæpiissimè in hominum perniciem dirigunt . Unde eiusmodi erratici ignes sæpe sonos & ejulatus ediderunt , homines invaserunt , verberârunt , interfecerunt . Qvanqam & horum ipsorum effectuum naturales causæ reddi non nunquam qveant .

§. IV.

Ignis lambens est Meteorum Ignitum , hominum capillis ac vestimentis , jubis eqvorum , navium malis , atq; aliis sine noxa adhærens . Lambens dicitur , locutione Poëtis familiari , qvia leviter tangit res , qvibus adhæret , non urit . Est enim materiæ tenuis , sicut flamma vini adusti , in qua fluxa raritas vim adurendi planè discinxit ; unde & linteum , si in qvo est , nil ustulat . Materia ista tenuis sulphurea , sicut ipsa Descriptio indicat , ex corporibus hominum , brutorum , & antennis navium pice illitis egreditur . Exempla hujus flammæ lambentis annotârunt Maro in filio Æneæ , Senex Patavinus in Servio Tullio , Scaliger in suo eqvo , alii in aliis . Hoc saltē observandum , eam , qvando malis aut antennis navium adhæret , peculiaria nomina sortiri . Si enim unicus sit ignis , Helena vocatur , si duo , Castor & Pollux salutantur . Prior malum in mari portendere creditur , posteriores bonum omen habere à multis usqve seculis putantur . Videtur supersticio inde originem duxisse , qvia qvondam Castor & Pollux , Piratas profligandō , plurimum Græcis nautis profuerunt , Helena autem , rapta à Paride ,